

DISSERTATIO NUPTIALIS,
DE
RATIONE STA-
TUS CONJUGALIS;

Prestantissimo atq; Eximio Viro Juveni,
DN. ANDREÆ SCHIÆ,

Et Honestissima, Pudicissimaq; Matrone
URSULÆ SCHOLTZIÆ,

Speclatissimi Optimiq; Viri

DN. JOHANNIS ZÜNDELI,;
Civis & Mercatoris Vratislav. p. m. Relictæ Viduæ;
Lectissimo Sponforum Pari,

VI. KAL. IXbres. festa nuptiis
die, officiosè oblata

à
CHRISTOPH. COLERO,
Auctore.

OLSNÆ, Typis
JOHANNIS SEYFFERTI, AN. M DC LIV.



RATIO STATUS, vocabulum

omnium vocibus decantatissimum, omnibus auribus sonantissimum, omnium animis penetrantissimum, omnium sensibus significantissimum, cymbalum fabulæ illius, quæ omnibus ætatibus acta, & adhuc in universo Orbistheatro luditur, cui non dicta est? adeo ut vetus proverbium hic locum inveniat;

Cui non dictus Hylas puer & Latonia Delos?

Hic partus, vel potius abortus non ex casto sapientis Antiquitatis sinu, sed ex abstrusâ Etruscæ Scholæ abyssu, progenitore suo Nicolao Machiavello, homine ad excogitanda aulica Sophismata nato, ac Patrono, & Lapide Lydio Cæsare Borgia, (cui illud plenum arrogantia & ambitionis Scitum aut Symbolum Emblematicum fuit, *Aut Cæsar, aut Nihil*) in dias luminis auras prodiit. Hæc nova & mira creatura, in cunabulis adhuc suis blandiens, præludentis instar pueri Herculis, initio intra Italiæ septa & claustra, & præcipue in Aulâ Etruscâ, pueritiam transegit; sed ubi ex pueris excessit, & jam annis, & viribus adolevit, cis Alpes, & Pedemontanas regiones, in Galliam, cum Catharinâ, scientissimâ hujus arcani artifice, in ipsam Henrici II. regiam irrepsit. Neq; contenta fuit per terras circumvagari, sed ut transmarina Siren, per maria, in ipsam Arcem Hesperia & Sedem ejusmodi mysteriorum, non uno in Orbe pragmaticorum, progressa est. Hinc velut Contagium ac pestis, terrâ & mari, quâ Orientem, & Occidentem, in omnes mundi angulos, Latissimè proserpere cepit: ut jam non solum in omnibus Synediis & Conciliis, in Aulis, Curis, & foris, machina hæc moveatur, agitetur, & versetur; Sed etiam in Scholis, Cathedris, & pulpitis exerceatur; in pri-

549225

vatis Contuberniis & Musæis, pulveribus & umbris, Volvatur & revolvatur; in circulis & triviis, vulgi rumoribus & clamoribus divulgatur;

*Monstrum horrendum, informe, ingens, sub
schemate larvæ*

RATIO STATUS. Quemadmodum verò sapius ex uno Patre & Matre, genitæ & natæ gemellæ, & uno lacte materno nutritæ sorores, proveniunt; Sed una genuini & probi, altera perversi & corrupti moris est: ita quoque hæc genitrix & nutrix gemellas, ingenio & moribus diversas enixa nutrit sorores; nempe bonam, Deo ipsi honestisq; hominibus gratam; alteram verò malam, & quasi ex Cimmericis Orci tenebris oriundam. Sed cum uterq; & dispar fœtus, vivis caloribus, à novitiæ & lactentis hujus doctrinæ doctoribus, prioribus & recentioribus, descriptus: ac à me in nonnullis Bonæ Mentis Palæstris, & Politicis Diatribis sit expositus, declaratus, & partim probatus, partim damnatus sit; ne hic eandem crambem recoquam, nec ineptè eadem chordâ oberrem, rectâ ad scopum instituti mei iter deflecto. Ut alia **RATIO STATUS** publica; ita etiam privata; ut *Aulicæ, Curialis, Civilis, forensis*, ita & *Oeconomica, domestica, familiaris*, ac *Conjugalis* est. Hac de causa Romanus Sapiens, Annaus Seneca, domum, pusillam *Rempublicam* esse, rectè & sapienter judicavit. Si ergò præceptor ille bonæ mentis, domus recturam Reip. modo administrandam esse, præcipit; utiq; nec ego, si huic vertendæ machinæ clavem, hoc est, *Rationem Status Conjugalis & familiaris* applicavero, adeò latè ab orbitâ hac erravero. Eam scribendi occasionem, cum Tu, Ornatiissime Juvenis, **ANDREA SCHIA**, Novelle Conjugii Candidate, cum Lectissimâ fæminâ, ortu **ANNA SCHOLTZIA**, Viduâ **JOHANNIS ZÜNDELI**, Civis & Mercatoris Vratislav. non ultimi, crudâ morte præcepti, felix novi Conjugii auspiciū mediteris, mihi præbes; non potui ex Lege Amicitiaæ tecum

tecum contractæ, tuis postulatis refragari. Id enim est legitimi Præceptoris officium, non solum discipulos suos, tempore magisterii sibi subiectos, sed etiam eosdem, postquam ex ephebis excesserunt, diligere, & amare, ac peculiari curâ tenere & fovere. Quamobrem fingo me esse Præceptorem tibi Civilem & Oeconomicum, qui tibi quasi Discipulo, atq; tuæ futurae Sociæ, in præsens & futurum profutura monita & exempla, Politica & Oeconomica, quæ nomenclatione novitiæ & lactente seculi *Rationes Status Conjugalis* appellare libet, præscribat. Quare cum illa cognitio Vobis, *Lectissimi Candidati Conjugii*, sit admodum necessaria & utilis; & verò ipsa *Rationum Status*, tum innumera multitudo, tum immensa ponderum magnitudo mihi obstet, faciam, ut in hortis Virgines solent, quæ ex florum viridario pauciores, & ex herbarum salubrium plantario notiores seligunt & decerpunt, ac ad ferra procis suis conficienda, aut in usum medicinæ, domum afferunt, & nonnullas tritiores & faciliores cognitu & tractatu *Rationes Status Conjugalis* vestri compenditaciam, ac ob oculos vobis contemplandas & arbitrandas proponam. Ex autem nominatim istiusmodi erunt; *An Tibi ducenda sit Uxor, & Qualis?* Deinde; *An præstet Virginem, vel Viduam ducere;* & demùm, quod coram dis loco erit, bona Verba, seriò & joco. apprecabor. Multas esse, & Veterum & recentiorum Dissertationes & Disceptationes, publicè & privatim reciprocatâ ferrâ hinc & inde ductas, vel pueris notum est. In quod profundum argumentationum & rationum mare, me non immergo, cum videam certare invicem partes & sectas, & adhuc sub iudice versans his, nec cognita, nec definita, aut decisa sit. Si me in consilium initio privatae tuæ deliberationis vocasses, an tibi conjugium sit inviduum, an diuturnior exhibitus continuandus, difficile sanè mihi fuisset, meam expensis rationibus, præjudicio jam præoccupatam, interponere & exponere sententiam. Vides enim, cum bona atas, vires & valetudine olim excitarint, quid ipse domi fecerim. Ita nisi extra conjugium

jugium positus dixerō, me ipse necessum est & levitatis & inconstantiaē damnavero. Sed seponam paullisper in praesens praeposteram eam cogitationem, & de toto negotio illo Conjugii, aut Coelibatus praeferendi, liber & solutus palam disseram. Bina tamen Soeratis, sapientissimi mortalium à Delphico Oraculo judicati, monita in antecessum praemittam. Unum est, quod cordatissimus ille Atheniensium, cuidam Juveni sciscitanti, *Uxorem an duceres, an Coelebs permaneret*, responsi loco regeslit: *Utrumvis*, inquit, *feceris, paenitebit*. Alterum, quod sub elegantissimo similitudinis aptissimae caractere proponit, tale est: Juvenes caelibes esse similes piscibus assultim alludentibus circum nassam aut rete, qui inire & irrepere: contra, qui jam inclusi & circumsepti sunt, exire gestiunt, Simile in matrimonio ineundo & inito esse, quod ambiunt liberi, capti verò & clausi ex poenitentia averfantur, & atro calculo damnant. Huic simili, ex meo penu & promptuario si addidero hoc, non ineptire me puto; quod tale est. Coelibes similes esse gallinis, quae ad corbem, cui aliae inclusae afferantur, ex cupidine escae & saginae assultant, & gestiunt intus esse: contra, quae ibi custodiuntur, foras se proripere tentant. Sic proci in carcere conjugali detentes & nuptis alludunt: contra, Conjugati durissimo & intolerabili illo, ut putant, jugo, eximi se cupiunt. Sed si quis principio Conjugalem Statum damnaverit, is in utramque Civilem, & Naturalem Legem peccaverit, necessum est, Neque enim ulla domus, neque ulla societas, neque ulla Civitas, neque ulla Respublica, neque ullum regnum, neque summa imperia, neque genus humanum, absque hoc adamantino nuptiarum Vinculo, stare potest. Hoc aspectu qui Uxorem ducit, ut olitor ex arbore insita frutices & surculos, ex floribus & herbis, plantas expectat; ita is:

Natorum natos, & qui nascentur ab illis,
quaerit. Non igitur, universè Tu id ex me quaesieris, nec ego distinxero; *An Conjugio Coelibatus, an illud huic sit praefendum*: sed strictius; *an Civilis vitae studiis occupato,*

cupato, an hoc intempesivo tempore, an aspectu muliebris per cuncta nutantis & variantis ingenii?
Exempla Veteris & recentioris aevi sunt obvia, & quidem multa, & magna; quae suadent, caelibatum, & quietiorem, & tranquillio rem esse Conjugali, inquieto, onerosissimo, & molestissimo vitae genere. Conjugium sane mare aliquod est, omnis generis laborum, molestiarum, & periculorum; ideoque Iernam & Camerinam malorum, si dixeris, meo quidem iudicio, non omnino erraveris. Sed praeter innumera exempla, etiam ratio ipsa plus ponderis afferet. Si enim tibi sapientiae Civilis Studio animus liber, Deo & sibi vacans, qui ad vitam civilem, forensam, & aetuosam requiritur, non video, quomodo tibi publice occupato sit assumenda privata cura, quae te noctes atque dies angat, ardeat, & coquat? Si tibi satis molestiae & tædii est in te regendo, affectibus & cupiditatibus tuis coercendis, quid novas curas, molestias, & arumnas aliunde accersis? quid domestica & intestina arma in te provocas? quid intractabilem & immoderabilem subditam aut sociam tibi adsciscis, cui imperes? quae imperata etiam iustissima & acerrima facere detrectet? Cymbam tuam difficili satis labore & sudore gubernas; cur navim adjunctam tot armamentis onestam vehere cupias? Et ferenda illa omnia aequo animo ferent, si modo tu principatum & imperium domi tuae teneres. Sed quid si illa sceptri vim affectet. Hoc quidem, ut in Rep. sic in domo, quae teste Philosopho maximo, *pusilla est Resp.* maxime nocet & obest. Nam quicquid masculinum, natura magis factum ad imperandum, famineo. Sed si contra naturam illa herilis spiritus dominium domus arripere satagat, & proverbio, *fulmenta lectum scandunt*, fidem faciat. Nam ut Pythias aliquis, vir summus, MARQUARDUS FREHERUS, ex veri tripode ita vaticinatus est olim; *Si quis Uxorem duxerit, is sibi persuasissimum habeat, Heram illam sui impotentem, dominium habituram, sive id, vel clam*

clam, vel vi, vel precario fiat. Quid verò inde aliud sequetur, quàm dissidium & discidium; bellum, non civile, sed familiare, & domesticum, metuendum est? Nominari quidem possunt nonnullæ Reginae & principes matronæ, boni & felices imperii; nimirum PHILE Uxor Demetrii; ZENO-BIA Palmyrenorum Regina, quæ sanguinem quidem à lascivâ Cleopatrá, sed non animum & mores inde hausit; PVLCHERIA, Theodosii Junioris soror; ISABELLA, Castellæ Regina, Ferdinandi Magni, Arragonii & Catholici Regis Conjux; ac nostrâ ætate ELISABETA, Britannicæ fortissima Amazon, & nuper CHRISTINA, Sveciæ Regina, & Arctoi Orbis altera Penthesilea, quæ Christiano Orbi dubitandi aleam reliquit, an plus palmæ & lauri ingerendo, an deponendo imperio meruerit? Sed plures muliebris imperii mali & infelices numerabis Reginae & principes dominas sui impotentes; nominatim ATHALIAM; LAUDICEN; CLEOPATRAM, libidinosissimam principum feminarum, MESSALINAM, quæ flagitiorum omnium (tas sit, in sordida illâ Laide sordido vocabulo uti) cloaca fuit; FAVSTINAM, Optimi Principis M. Antonini Philosophi, pessimam thori sociam; FREDEGUNDIM, Chilperici Regis Gallicæ initiò pellicem, postea Conjugem; JOANNAM NEAPOLITANAM, & alias infinitas. Nec alia fors est in pusillâ illâ Rep. quam domum & familiam interpretamur. Sæpe enim virgo proco commendatur, ut religiosa, pia, pura, casta, modesta, prudens & fida; sed domum ducta, est superstitiosa, bibosa, libidinosa, morosa, rixosa, aut gloriosa. Prudentiæ quidem filio Tacito *Conjugia, consortia rerum secundarum & adversarum laudantur*; sed quocumque contingit adire Corinthum? Ut Mimus quidam apud Veteres aculeatè dixit; *bonos Principes posse in uno annulo perscribi*; ita propè dixi, *Bonas etiam Uxores.* Ubi quæso gentium quærenda PORCIÆ similis, quæ sapienti suo Bruto aiebat; *se datam, non sicuti pellices, ad lecti tantum & mensæ consortium, sed potius ad prosperorum & adversorum societatem?*

rem? An Soli similem Texenæ Agathoclis Regis Uxori viderit, quæ Marito suo dixit; *Nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortune inisse societatem: nec invitam periculo spiritus sui empturam, ut extremos viri spiritus exciperet, & exsequiarum officium, in quod, profectâ se, nemo sit successurus, obsequio debite pietatis implet.* Ubi Arriam invenias, quæ mariti sui, patriæ libertatis assertoris, Patii Thrasæ, fatum spontaneâ morte prævertit? Contrâ verò crebriores & magis obvix sunt illæ; quæ cum XANTIPPE noctes & dies rixas ex rixis excitant, & ferras ducunt; vel cum *Plancinâ*, maritos periclitantes deserunt; vel cum *Sempronîâ*, quæ literis Græcis & Latinis docta, psallere & saltare elegantius sciebat, ultra quàm necesse est probæ, multa sæpe virilis audaciæ facinora committunt. Nonne, ut in Aulas & Curias, Concilia & Syndria, ita in sacrum individuumque thorum fraudes, imposturæ, prodiones irrepunt & penetrant? O rem turpem & foedam! ô detestandam & execrandam! Fæminæ etiam inducuntur, ut efferant & enuncient aliqua arcana contra Maritos. Quis nescit, secreta Drusi, corruptâ Uxore, prodita fuisse? Cui non lectum est, quod Martia marita, Fabium Maximum, Maritum suum, garrulitate suâ prodiderit? De Uxore Neronis Tacitus hæc refert; *quod ne nox quidem secunda, cum uxor vigilias mariti, somnos, & suspiria matri Livie, atque illa Sejano patefaceret.* Sed præter naturam etiam ipsa ratio viris potius, quàm feminis prærogativam principatus adjudicat. Nam palàm est, quod ille conditor nostri DEUS, huic imbelli & imbecillo sexui, peccatus variis quidem instruxerit dolis & fallaciis, sed vim & efficaciam negaverit. Nec Deus & natura feminis constantiam indulgere; quia nulla earum diu pondus habet. *Varium, ex mente Poëtæ principis Romani, & mutabile semper femina.* Uti neque virtutes alias, ita neque prudentiam, illum oculum animæ,

animæ, ac directricem illarum certissimam plenè indidit; cum plerumq; muliebri consilium sit deterius; quæ quidem omnia sunt vera principatus & imperii instrumenta. Sed illa meliùs dissimulari possent, si modò vitiorum amor non inhaereret. Nam non imbecillis tantùm & impar laboribus hic sexus; sed, si licentia adsit, superbus ambitiosus, sævus & ferox; imò lubricus etiam, levis & desultorii ingenii est! Si ita; quàm in lubrico Resp. pariter, & privata domus, nutant & titubant! Quemadmodum enim venatores canem famellam acriorem masculo esse, in indagandis & persequendis feris, arbitrantur: sic femina acriores affectuum & cupiditatum aculos, quàm mas sentiet. Potestate enim cupiditati blandiente, mulieris appetitus omnia clausura & repagula abrupte. Deniq; indecorum & servi nimis hoc servitium. Quamobrem, si vir esse virilium curarum & animi capax esse cupis, ne nimis sis Uxori deditus, aut ex Claudia: ille caudice & stupore, dimittum Conjugis tuæ imperio obrutus sis. Hoc enim ut turpe est Reip. & familia; ita & viro. Multi in sanè interest, utrum femina gubernet, an qui gubernat, à faminis gubernetur: quæ à sua Junone.

Ducitur ut nervis alienis mobile lignum.

Mariti, qui ita Uxoribus suis se ducendos & trahendos præstant, scitè elegantia equis comparantur, qui sessorum suos tam spontè & faciliè admittunt, & se ludos faciunt. Tu tamen, *Spense le-*
thissime. piam, & probam, prudentem, modestam & moderatam, & quod caput est, dictis tuis audientem, speras & expectas; qualem ipse vicinam, vel à pueris arbitrari potuisti, & qualem rumores publici eam tradiderunt. Hoc quidem omnes tibi amici & benevoli optant; inimici verò atq; malevoli lævis oculis hanc felicitatem aspiciunt, atq; obtruncant. Quamquam multi maritorum compertum habent, quòd hæc spes & expectatio, & vota sæpe fefellerint. Non enim ex compositò illo vultu, oculis ludentibus, verbis blandientibus, toto corpore ad modestiam, humanitatem, & Venustatem, ac meras

gracias,

gracias, composito, eam elegisti; sed divinitus tibi destinatam, & fato reservatam, famam tibi monstratam, eam domum duxisti; Sed nosti ingenium huic sexui inditum, quod crudæ adhuc, & vix pueris egressæ simulent, fingant, & dissimulentur ac scitè & peritò mimum agere sciant. Non enim nimia crudelitate, aut dubiâ amicorum adulatione eam adsciscis tibi thalami sociam; sed propriâ & mutuatitiâ prudentiâ aliorum notam. Nosti equisones non emere equum, aliena saltem fide commendatum, sed suis oculis usurpatum, ac fessurâ propriâ probatum. Ut venatores non solum exquirunt, quo sanguine & genere prognatus sit canis venaticus, sed canem ipsum experimento probant; Ita tu in quærendâ tibi Caja cautus & providus fuisti, ne te postea facti, serio, sed nimis serò pœniteat. Si mangones in equis aut canibus alicui imposuerunt, cæ juxta morem antiquitatis receptum expostulandi cum venditore jus est: at in electâ & ductâ semel uxore, postea tuæ querelæ in ventos ibunt, & in irrisus; ac à pueris & puellis contumeliosum canetur convitium: *Habeat ut nactus*. Hæc super ingenio Vario & mutabili, muliebri satis puto esse dicta; restat, ut de duobus hujus Capitis membris, aliquid adseram. Si temporum nostrorû statum inspicias, Pax in Imperio nostro honesta & utilis sancita, Pacis etiam usufructus, ut pote tranquillitatem & securitatem, libertatem in sacris & profanis sanctam & tectam, ut & rerum omnium ubertatem, efficit. Hujus enim pacis nomen dulce est, res verò ipsa cum jucunda, tum salutaris est. Quæ non modo iij, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atq; agri latari videntur. Nonne publica te solatur felicitas, in ipem honorum & felicis ævi, liberos suscipere & educare? Ante paucos enim annos intestina & civilia bella, & decumanæ calamitates, quid nisi fugam hominum, exilia, exitium, & per mutationem universi status portendebant? Nunc verò omnia quasi reviviscunt; atq; inter alia, studia ipsa doctrinarum, spiritum & sanguinem recipiunt. Quæ præsens languida & flaccida, & tantum non extincta ierunt. Novi ego

B 2

non

non neminem, qui antea, in squalore & situ delituit, cui bona pars vitæ elapsa est, qui dulci compede Conjugii se illigari passus est. Accedit etiam æqualitas, quæ par pari, similis simili, geminus gemino jungitur. Tu juvenis ætati, & illa juvenula, nisi quod, aliqua parte differre videamini, quod tu cœlebs & imberbis, illa Vidua, & mater duorum liberorum; cujus mores à Virginis moribus ex parte discrepant. Hæc est altera *Disertationis nostræ Ratio Status*, quàm & paucis, cum sit ratio temporis habenda, delibabimus. Ardua & gravis est controversia inter Jurisconsultos, & Philosophos, an melius sit & commodius, Virginem, quàm Viduam ducere. Absolutè & sine exceptione non nulli arbitrantur, omni respectu Viduarum, seposito, in nuptiam adhuc, & plevis nubilem anais Virginem ducere: quos hæc rationes inducunt. Principiò ajunt ingenium & indolem Virginis honestæ esse, instar ceræ, ductilem, flexilem, & sequacem, quæ faciliè naturæ & moribus mariti conformari & confirmari possit. Hoc quidem præter alios statuit Callicratides Pythagoræus Philosophus, qui apud Stoicorum ita philosophatur: *Porro in Conjugio, ut par est, contracto, maritum, Uxoris suæ, Tutorem, Dominum, ac Præceptorem esse convenit. Primum, res ipsius curando: alterum, regendo & dominando: tertium docendo, quæ sunt ejus officii. Hoc autem maximè consequetur ille, qui Puellam bonis Parentibus ortam, & ætate vigentem duxerit. Tales enim marito primo nubentes, facile flecti instituiq; possunt, & ad discendum promptæ sunt, & ad metuendum amandumq; Viros suos.* Hæc ille. Quemadmodum enim tenera arbutula, cum suis tenellis ramusculis, & surculis facili negotio, quocumq; gestis, flecti & dirigi potest: ita quoq; tenera illa virgo ingenio & moribus mariti faciliè assuetæ, robur & augmentum virtutis & boni moris sumet. Contra

verò,

verè, ut arborem ramis suis & radice in duratam frangastitius, quàm flectas: ita quoq; Viduam, alterius Viri moribus assuetam, tardius & lentius tuo ingenio & animi moribus assuefacies. Nam prima cura mariti erit, eam dedocere mores prioris mariti, acerbos, amaros, & inspidos: postea eam docere suos mores & virtutes. Quod sanè sine magnâ difficultate fieri non potest, cum longè difficilior sit ratio desuescendi, quàm assuetiendi. Deinde in matrimonio cum Vidua contracto, ex dissimilitudine morum, quos Vidua in posteriore marito per collationem prioris deprehendit, & animadvertit, quotidiana & assidua solent jurgia, discordiæ, rixæ, & odia intercedere. Nam prior erat lenior & tractabilior: alter est proclivior ad iram & irrevocabilior: prior lentior in exigendo & temperatior: alter verò celerior & excitatior inurgendo: prior remissior & tepidior: alter furiosior, ardentior, & implacabilior. Porro alii ajunt, Viduam novo marito, liberos in matrimonium secum apportando, plures creare molestias, labores, & arumnas. Mater enim, carissima illa prioris Conjugii pignora, & simulacra Patris, ardentius amabit, Vitricus verò odio habebit, & averfabitur terribilimum illum matris affectum, ac detestabitur. Deniq; nonnulli asserunt, majorem existere inter eos amorem, quorum Conjugatorum alter alteri virginitatis florem & decus attulerit. Sed hæc agitatam controversiam hac distinctione, tam ratione Virorum, quàm feminarum expediendam & dirimendam esse autumo. Viri enim novum matrimonii jugum subeuntes, vel senes, (& fortassis etiam ipsi vidui) sunt, qui jam proprietatem senilem ad liberos procreandos (qui summus tamen nuptiarum finis debet esse) inepti & inhabiles sunt: aut juvenes, aut certè ætate illis non multum inæquales & dispares sunt, qui præcipuum illum Conjugii scopum respiciunt. Viduæ etiam vel valenti sunt & integræ ætate & formæ, ita ut ad amandum eas & amplexandum illiciant, & liberos ex se parere queant: vel annoxæ, & deceptæ vetulæ. Senes quidem matrimonium con-

B ;

trahere

trahere cupientes, & in eum quidem finem, ut in quiete, ocio, & tranquillitate vitam transigant, melius, meo quidem iudicio, sibi consulent, si Viduam aetate sibi parem, quam virginem crudam & acerbam, & sibi maxime inaequalem duxerint. Cum enim ex Thaletis consilio, viri & feminae sit sibi jungere parem, & inter pares firmissima sit amicitia; certe inaequalium conjunctio haud stabilis & firma esse solet. Senum autem debiliū & effatorum conjunctionem in aequalem esse, liquido constat: quod illi naturam morosi, meticulosi, difficiles, intrastabiles, & proinde ad amicitiam & societatem inepti sunt: haec vero juvenulae sunt procaces, cupidae, lascivae, ac insatiabiles. Juvenes vero, qui matrimonium ob praecipuum ejus finem, quem supra attigimus, id est, liberorum procreationem, contrahunt, Virgines potius, ut incommoda, in matrimonio cum Viduis contracto, subsequa fugiant, quam Viduas eligunt: vel eas certe Viduas, quae aetate ipsis non sunt nimis inaequales. His rationibus adductus, *politissime SCHIA*, non Virginem, sed prius legitime nuptam, ac Marito cruda morte abrepto desertam Viduam, honestissimam & castissimam Matronam, & Matrem filii domum ducis. Illa enim aetate & formam instar Virginis, nondum vicennis, ex facili ingenio mores, quibus priori juncta viro assuevit, dediscet & tuos cultos, atque ad exemplum politiorum hominum formatos exacte discet. Tuum autem, hoc est, veri & legitimi Mariti officium erit, eam ita formare, dirigere, & moribus instituire, qualem optas & concupiscis: illi tanquam sequaci & ductili Uxori obsequii gloria sufficit. Ut priori, & Viro, & Civi & Optimo, JOHANNI ZÜNDELIO cum reverentia & amore obsecuta est: ita & tuo ANDREAE SCHIAE iisdem modis & artibus bonis obsequetur. Et licet ingenio & moribus prior & posterior Mariti dissimiles invicem fuerint & sint: tamen concentus concinnus, & apta harmonia, ex dissonantia & discrepantia orietur: non aliter, ac in patheticam melodiam quaedam paullo durior dissonantia in suavem clausulam desinit. Habet enim has vices humana conditio, ut ex malis

malis tandem bona & ex bonis mala, nascantur. Deus enim causas rerum secundarum & adversarum, sub diversa facie & fronte promit; & saepe latus & exoptatus effectus, tristitia initio, & contra tristis lata gignit. Et quamvis interdum domesticam pacem, atra quadam nubecula obtumbilat, tamen benignus mutui amoris & favoris sol, tempestatem imminentem in auras dissipat, ne se ulterius protendat. Etsi etiam Vidua haec ex priore Conjugio, duo pignora, cum eam legitime ambros, velut thesauros cum Lacena illa matronam tibi ostentaret, & ut se a suis liberis inseparabilem, pari amore amplectaris, postularet; tamen onus illud Deus morte alterius mitigavit & allevavit, ut jam sit ferendo facilius. Quare, licet naturam nondum adhuc pateris, tamen cum curam esse possis, & debeas, hunc superstitem privignum, ut germanum filium, dilige, ac vel exemplum ab eo cape, quales tuos in posterum fore velis & cupias. Nunc igitur votis & precationibus, Auctorem Conjugii coelestem, rogamus & sollicitamus, ut hoc Conjugium, Vobis, *florēt. firmi sponsi*, benedicat & prosperet; & Sponsa quidem secundum hoc velit esse secundum & fecundum; ut natos utriusque sexus, & ex his aliquando nepotes, suscipiatis, ac eorundem indole ac moribus delectati, Vobis effatis senibus baculi & scipiones sint futuri, qui ordine naturae servato ultimum pietatis officium praestare possint. Ac sic joco quodam fortasse non inficeto Orationem meam claudam.

Virgine quid missa viduos, SCHIA, quæris amores?

Gratior est tacta Regia Virgo Rosa.

Dixerat hoc Gracus: pereat male quisquis amator

Aggreditur sacri vota secunda thori.

Qui primam ducit, minimè peccaverit audax.

Est ignarus adhuc, quam grave Nupta malum!

Qui thalamos iterat post primi funera lecti,

Bis perit in vasto naufragus ipse mari.

Tu

Tu tamen aggredieris confidens pectore firmo.

Te fortuna procum grata Patrona iuvat.

Nominis esse sui quantumvis URSULA gestit,

Tendit in amplexus; trux velut Ursa, tuos.

Ac velut Ursa suos amplexa congrege fetus

Ardet, & hinc catulos vindicat ungue suos,

Sic veteris lecti solers amat Ursula pignus:

Illam novo posthac plura datura Viro.

Quale vorax animal lustrans abvèaria passim,

Devorat in sitivis dulcia mella favi.

Sic SCHIA demulcens mellita per oscula semper

Melliculum dulci pascito melle tuum.

Esto vir ANDREA SCHIA, venatoris adinstar,

Ut Vira capta suum sentiat idem virum.

Sic inter fluctus hujus maris ancora jacta:

Sic status, & stabit vestra Rei Ratio.

